

EPISTULA LEONINA

CCXIII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM TERTIAM DECIMAM (213) !

ARGUMENTA: Iustitia Pietas Fides – De Saidio atque Adindâ

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam tertiam decimam (213). Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de versione Latinâ “Saidii atque Adindae”, fabulae a Batavo auctore laureato scriptae, qui sibi nomen imposuit Latinum, q.e. “Multatuli”. Interpres huius fabulae est alter Batavus: **Iohannes Petrus Knijff**, qui nos iam saepius facundê delectavit fabularum versionibus suis Latinis.*

Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latinê scriptas perlustrandi. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!

Vehementer spero vos omnes defensores Latinitatis vivae tutos mansuros esse ab omnibus offensionibus viralibus et non-viralibus. Quod faxit Deus immortalis!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß


Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 01. m.Mart. a.2020**



IUSTITIA PIETAS FIDES

ECCE SYMBOLUM SURINAMIAE HERALDICUM

https://de.wikipedia.org/wiki/Wappen_Surinames

Surinamiae insigne heraldicum compositum est a.1975. Pars scuti dextra spectat ad tempus praeteritum, quo servi navibus ex Africâ in Surinamiam abducti sunt. Sinistrâ autem parte scuti significatur tempus praesens palmâ victoriae, quae est symbolum hominis iusti (cfr **VULGATA Psalmus 91,13 IUSTUS UT PALMA FLOREBIT**). Rhombus (i.e. adamâ) medio in scuto positus significat cor, quod habetur pro organo amoris atque caritatis. Punctis rhombi indicantur quattuor ventorum directiones. Stella, symbolum confidentiae, praeter spem, exspectationem, pacem significat etiam fidem, i.e. verbum sententiolae heraldicae particeps, quae est **IUSTITIA PIETAS FIDES** (sc. SEMPER VALEANT IN SURINAMIA). Quinque cuspides, ex quibus stella constat, commonefaciant oportet quinque partium terrae necnon quinque gregum magnorum, ex quibus constat natio Surinamiae. Quae stella inest etiam vexillo eiusdem nationis. Scutum tenetur a duobus Surinamiae aboriginibus sive autoctonibus.

DE SAIDIO ATQUE ADINDA

FABULA CELEBERRIMA

EXCERPTA E LIBRO

CUI INDEX MAXIMILIANUS HAVELAAR

**VEL AUCTIONES CAFEARIAE SOCIETATIS
MERCATORIAE BATAVAE¹**

AB EDUARDO DOUWES DEKKER²

QUI MULTATULI COGNOMEN SIBI ELEGIT³

SCRIPTO⁴

DATOQUE IN LUCEM ANNO MCMLX⁵

ANNO CLX POST

IN LATINUM CONVERTIT

IOHANNES KNIJFF.

¹ Max Havelaar of de koffiveilingen der Nederlandsche Handelmaatschappy (Amstelodami: De Ruyter, 1860). Praecipuē usus sum editione quae edendam curavit Anna Maria Kets (Assen & Traiecti ad Mosam: Van Gorcum, 1992); https://www.dbln.org/tekst/mult001maxh15_01/mult001maxh15_01_0019.php.

² Natus Amstelodami 2 Martii 1820, mortuus Nieder-Ingelheim 19 Februarii 1887.

³ cf. Hor. Ars 412-15: “Qui studet optatam cursu contingere metam,/ multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,/ abstinuit venere et vino; qui Pythia cantat/ tibicen, didicit prius extimuitque magistrum” necnon Ov. Tristia 4, 10, 101-02: “Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?/ Ipsā multa tuli non leviora fugā.”

⁴ Quattuor (incredibile dictu) tantum septimanis, a medio mense Septembri usque ad 13 Octobris 1859.

⁵ 17 Maii, quanquam re verâ iam 14 Maii apud bibliopolas vîniisse videtur.



Johannes Leoni s.p.d.

Fabella Maupassantiana abs te, mi optime Leo, nuperrime publicata, aliam quandam fabellam quaeſivi in Latinum vertendam. Iam antea cogitaveram de narratiuncula illa celeberrima de Saidia Adindaque ex libro cui titulus breviter Maximilianus Havelaar excerpta, auctore Eduardo Douwes Dekker, qui apte “Multatuli” cognomen sibi elegit. Qui liber inter optimos omnium unquam Batavice scriptorum ab optimo quoque iudicari solet.

Forte fortuna mox animadverti illum librum ante CLX annos primum esse publicatum (medio mense Maio); praeterea ipsum Multatulium die altero m. Martii ante CC annos esse natum. Tempus ergo prorsus idoneum ad versionem Latinam publicandam.

Iam partem non ita parvam narratiunculae in Latinum converti. In animo est mihi, si tibi placet propositum, quinque partibus eam publicare, quarum en accipis primam, duobus huic adhaesam modis.

Magnopere gaudebo si tibi placeat propositum. De tua sententia facias, quaeso, me certiorem. Interim hieme ut videtur iam peracta hisce primis diebus vernis fruaris atque optime valeas cura.

Saidii pater possidebat bubalum, quo colebat agrum. Idem bubalus cum sibi a principe regionis Parancudianae esset ademptus, pater Saidii valdē tristis erat multosque per dies ne verbum quidem dixit. Nam appropinquante tempore arandi timendum erat, nisi *sava*⁶, id est oryzetum, tempore coleretur, ne praeteriret etiam serendi tempus; tandem ne non cresceret *padi* – oryza scilicet - quod meteretur et in cellâ sive *lombong* domûs conderetur.

Lectores, quibus Iava, sed non Bantenia⁷ nôta est, admonendi sunt extare quidem in eâ regione ius proprietatis, id quod alibi desit. Igitur Saidii pater valdē sollicitus erat. Timebat ne uxor oryzâ indigeret neve Saidius, puer adhuc, et Saidii fraterculi et sororculae.

Necnon se a principe regionis accusatum iri apud propraetorem nisi mercedem solvisset die dictâ; nam eius rei poenae lêge sunt dandae.

Tum Saidii pater sumpsit pugionem a Iavanis *crisum* appellatum; quem a patre acceperat pusacam, id est rem hereditariam. *Crisus* non erat pulcherrimus, lamellis autem argenteis circum vaginam et in puncto vaginae ornatus. Quem cum viro Serico in capite regionis habitanti vendidisset, viginti quattuor florenis acceptis domum revénit, quibus alium êmit bubalum.

Saidius, tunc temporis septem fermê annorum puer, cum novo bubalo mox amicitiâ se iunxerat. Haud temere ‘amicitiam’ dico, nam re verâ mirum, ut *cerbo* Iavanus haeret puerulo custodienti sese curantique. Bestia fortis libenter caput dextrorum, sinistrorum, deorsum inclinat premente digito pueri quem novit, quem intellegit, quocum unâ crevit.

Talis ergo amicitia etiam parvulum Saidium mox cum novo iunxerat hospite, atque vox puerilis hortatrix Saidii plures vires addere videbatur armis robustis bestiae fortis, terram gravem fertilem convellentis viamque delineantis sulcis acutis. Bubalus libenter se vertebat quotienscumque ad finem agri ventum erat, ne digitum quidem telluris amittebat eo quod retro arabat novum sulcum, qui

⁶ Oryzetum, i.e. oryzae ager. Multatulus multis vocabulis Malaesiaca usus est, quae retinuimus in versione nostrâ, orthographiâ autem ita immutatâ, ut Latinae quam Batavicae linguae similiora videantur; quorum significaciones notulis explanantur.

⁷ Bantenia enim est regio Iavae.

quidem semper iuxta priorem iacebat, quasi *sava* esset hortus a gigante pectinatus.

Iuxta sitae erant savae patris Adindae, puellae Saidii sponsae⁸. Atque quandocumque adveniebant Adindae fraterculi ad agrorum terminum eo prorsus tempore quo et Saidius cum aratro illīc aderat, clamabant hilariter alter ad alterum, laudantes certatim bubalorum suorum fortitudinem oboedientiamque. At equidem credo Saidii bubalum fuisse optimum, fortasse quod idem melius quam alii alloquebatur eum. Nam bubali verbis benignis maximopere delectantur.

Saidio decimum agente annum, iamque septimum Adindā, ille bubalus patri Saidii ademptus est a principe regionis Parancudianae.

Tum pater Saidii, pauperrimus homo, vendidit cuidam Seri duos hamos *clambuarios* (iisdem *clambu* vel conopeum suspenditur), quos a saceris acceperat *pusacas*, pretio duodeviginti florenorum. Atque eā pecuniā novum ēmit bubalum. Sed Saidius tristissimus erat. Nam ab Adindae fraterculis certior factus bubalum priorem in caput regionis actum esse patrem rogaverat, num bestiam vidisset, cum illīc esset *clambua* venditus. Saidii pater filio roganti respondere noluerat. Itaque puer timebat, ne bubalus caesus esset, haud aliter quam alii bubali, quos princeps regionis incolis ademerat.

Saidius autem multum plorabat cogitans de misero bubalo, quo duos annos tam familiariter usus erat, diuque nihil comedere potuit, nam guttus eius angustius fuit, quam ut aliquid degluttiret.

Recordandum est Saidium fuisse parvulum.

Novus bubalus Saidium mox cognovit atque pueri benevolentia cito locum occupavit prioris... re verā nimis cito. Nam, proh dolor, impressiones cordis tam facile lēvantur, ut novis locus detur inscriptionibus. Utcumque se habuit res, novus bubalus sanē non tam fortis erat quam prior... iugum vetus sanē nimis latum ad armos... at misera bestia fuit tam benevolens quam illa caesa, quae eam antecesserat. Atque Saidius, vires bubali laudare nequiens cum Adindae fraterculis iuxta terminum obvius esset, nihilominus

⁸ Adindā significatur ‘filia primogenita’, vide: <https://www.meertens.knaw.nl/nvb/verklaring/naam/Adinda>

affirmabat nullum alium eum superare benevolentia. Etiam si sulcus non tam rectus ductus esset quam antea, si glaebae integrae essent versae, libenter palâ suâ, quae *patiola* appellabatur, corrigebat quantum poterat. Praeterea nullus tam fortunatus erat quam Saedii bubalus: ipse *pengulus* sive sacerdos dixerat *ontongiam*, id est bonam fortunam, inesse illis verticibus capillorum, quibus obtegerentur armi posteriores.

Olim in agro Saidius frustra bubalum acclamavit ut paululum festinaret. Tum bestia constitit immota. Saidius, tam magnâ tamque inusitatâ praesertim repugnantiâ turbatus, impotens sui retinendi contumeliam iecit. Clamavit: »A. s.« Quisquis umquam in Indonesiâ versatus est, me intellegeat; praestat me desistere ab explanando verbo inurbano.

Saidio autem nil mali in animo erat. Tantum id vocabulum dixit, quod tam saepe alios dicere audiverat, bubalis cum non essent contenti. At dicere non debuerat; nihil enim profuit neque bubalus loco se móvit. Caput quassabat, ut abiceret iugum... visa est anima exire naribus... flabat, tremebat, horrebat... metus in oculo caeruleo; labro superiore recedente patebat gingiva.

“Fuge, fuge!” ad unum omnes Adindae fraterculi. “Fuge, Saidi! Ecce tigris!”

Omnis pueri bubalos iugis exuerunt, dorsis insiluerunt latis, cursuque citato proripuerunt se per savas, per *galanganes* sive aggeres, per lutum, per fruticum, silvam, *allang-allang*, quales appellantur herbae altae - , per campos viasque. Dum sudantes anhelantesque vicum intrant Badurum, Saidius non iam fuit cum iis.

Nam is, cum insiluisset in bubalum suum a iugo liberatum, ut fugeret sicut alii, saltu bestiae inopinato vehementer impulsus in solum erat deiectus. Tigris erat proximus...

Saidii bubalus, motu proprio impulsus, paucis saltibus provolavit praeter locum, ubi parvus eius dominus mortem exspectabat. At impulsu tantum, nihil voluntate, longius ierat quam Saidius. Vix enim

superato impetu – omnium rerum domino, etiam causâ impetûs finitâ – rediit, corpus informe ingens imposuit pedibus informibus velut tectum puer, capite cornuto ad tigridem verso. Îdem saluit quidem, sed saluit ultimo... Bubalus cornibus eum excepit, ipse paululum tantum carnis amittens tigride collum mordente. Oppugnator iacuit ventre scisso, Saidio servato. Certô certius non defuerat *ontongia* capillis armorum illius bubali!

Is bubalus cum Saidii patri ademptus esset caesusque...

Monui te, care lector, fabulam meam fore taedii plenam.

...Eo bubalo caeso Saidius iam duodecim habuit annos, et Adinda *saronges* – sic enim vestis vocatur Indonesiaca - texebat easque *baticabat* vel colorabat *capalîs* praeacutis (*capala* est pars *sarongis*). Iam cogitationes eidem inducendae fuerunt vasi pigmentario, tristitiamque impinxit textilibus, nam Saidium viderat tristissimum.

Pater Saidii etiam tristis fuit, sed maximê mater, quippe quae curaverat vulnus collare bestiae fidae, quae filium suum incolumem domum reduxerat, dum illa, certior facta ab Adindae fraterculis, credebat eum a tigride abductum fuisse. Tam saepe vulnus aspexerat, reputans quam graviter unguis, qui tam altê carnem invaserat bubali, molle corpus penetrasset pueri. Atque quotienscumque herbas recentes vulneri imponebat, bubalum permulcebat, paucis verbis caris eum allocuta, ne bestia fida nesciret mater quam esset grata! Postea mater speravit se a bubalo intellectam esse, ut is etiam intellegereret fletum suum, cum deduceretur caedendus, et sciret non fuisse Saidii matrem, qui se caedi iusserat.

Non multo post Saidii pater e terrâ effûgit. Nam maximê timebat, ne puniretur nisi mercedem solvisset, neque sibi restabat aliquid pusace, quo novum emeret bubalum, quod parentes semper in Parancudiâ habitaverant nec multum sibi reliquerant. Soceri quoque semper in eâdem habitaverant regione. Ultimo bubalo amisso paucos annos sese sustinebat, armentis usus mutuatis. Sed id munus ingratum et praesertim triste est illi, qui olim suos semel possederat bubalos. Saidii mater tristitiâ cum mortua esset, pater momento quodam desperationis

e Lebaco atque Banteniâ discessit munus quaesitum in regione Buitenzorg⁹. Lebacum cum sine syngrapho reliquisset, verberibus virgae punitus est absque custodibus publicis Badurum reductus. Hîc in carcerem iactus est, cum pro insano haberetur – neque mirum, si re verâ talis fuisse – et quia timebatur, ne fortasse furore sive *mata-glap* captus *amochiam* vel facinus insanum committeret quodpiam. At non diu carcer eum retinuit, nam paulo post mortuus est.

Quid factum sit fratribus Saidii eiusque sororculis, nescio. Casula, quam illi inhabitaverant in vico Baduro sita, aliquamdiu vacabat, mox collapsa est, quod e bambusâ tantum confecta erat, atap, id est palmae foliis, tecta. Paulum pulveris sordisque contexit locum, ubi multum erat laboratum. Sunt in Lebaco multi loci huiusmodi.

Sequetur fabulae pars altera.

**EXPLICIT PRIMA PARS FABULAE
C.T. DE SAIDIA ADINDAQUE,
A MULTATULIO
SCRIPTAE,
A IOHANNE KNIJFF
LATINE REDDITAE.**

⁹ ‘Sine curâ’, hodie Bogor.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90	
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90	
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90	



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM TERTIAM DECIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 01. m.Mart. a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

